Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2663
Quelle:
Copyright:

est in sanguinem. Ista ecclesia iam skrwawila sie (inquinavit se sanguine) *istis annis. Pape dant excommunicationes mordy posobili*, (caedes patrarunt) *cruces sanctificabant super fideles, dicentes, quod qui se in sanguine eorum lauabit erit purus a peccato et a pena. Haba skrwawila sie iam ecclesia moderna.* Quo manifeste petitur Cruciata *Martini* V. a 1420. in *Silesia* et *Bohemia* promulgata.

DCXCIX.

501 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 184. 4. currente calamo scriptus, rubricisque enotatus et quondam *Wenceslai Rossii* Sacerdotis hanc ejus notam praefert: *Quis fecit in Appokalipsim Opus Arduum, ille fecit Sermones istos Boemus: et sunt Rossonis De Crudim Ad cuius manus venerunt Anno 1533. in Opidulo Cziernnowit Trans montes Swim.* Confirmat istud altera ad *Codicis* finem nota: *Ad manus wenceslai peruenit libellus Anno 1533. Sacerdocij sui 16.* sed addit: *In Voticz scripsit sabbato ante Viti.* Cum hic anni 16. Sacerdotii sui meminerit, non possum omittere *Rhythmum*, quem sibi Vir pius, dum Sacerdotium susciperet, occinuit et postea huic ipsi *Codici* ad *fol.* 90. adscripsit:

Rosso wyday pocziet z wladarzstwi swebo
Yaks v ziwal Aurzadu kniezstwi twebo. 1516.

Quasi diceret: *Rossi! redde rationem villicationis tuae; Quomodo usus es officio Sacerdotii tui?* Sed ad *Codicem.* Continet ille: I. ut in Calce adpellatur, *Summam super Epistolas et Euangelia tocius anni per distincciones dominicis diebus*, sive Materias, quas vocant, praedicabiles initio ducto a prima Dominica *Adventus*, hoc tenore: *Abiciamus opera tenebrarum &c. Hodie tempus quoddam inchoamus. quod adventum domini appellamus* &c. Atque deinceps Oratori sacro multiplex pro quovis Sermone subpeditatur Partitio dicendorum. Meminerit Lector supra adfirmatum a *Rossio:* eundem *Boemum* et *Commentarii in Apocalypsin* et horum, ut vocat, *Sermonum* Autorem esse. Commentarium illum dedimus *Cod.* CXXIV. vidimusque finitum *prage anno domini 1411. per manus Andree.* Iam vero ad calcem praesentis *Summae* habetur *eerdnA*, quod ἀναποδίζοντι legendum *Andree.* Quamvis itaque ibi τo *per manus* ad Librarium potius ducat quam ad Autorem, cum tamen hic *Andreae* absolute ponatur et accedat *Rossii* testimonium, jam non invitus utrumque Opus *Andreae de Broda* celebri Theologo dederim, dum Codices alii certiora docuerint.

II. *fol.* 118. *Carmina* memorialia de variis Fidei Morumque capitibus, puta: De Decem Plagis Aegypti, de Circumstantiis

Pec-